DE

NEGATA MEDICORVM RESVRRECTIONE

AD ESA. XXVI, 14

IN PROGR. PASCHAL.

PAVCA DISSERIT

D. CAROLVS GOTTLOB HOFMANNVS

S. S. THEOL. PROF. PVBL. ORD. CONSIST. ECCL. ASSES. AED. MAR. PAST. DIOEC. VITEMB. ET TOT. CIRC. SAX. SVPERINT. GENERAL. H. T. FACVLTAT. THEOL. DECANVS

VITEMB. D. XXV. MART. M DCC XLII.

APVD EPHRAIM GOTTLOB EICHSFELDIVM ACAD. TYPOGR.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE



B. c. D.



QVam omnes naſo ſuſpendunt adunco, mordacique ſibilo conſectantur pagani, de futura mortuorum reſurrectione, doctrinam: Quam cum CAECILIO (a) anilibus fabulis atque mendaciis, pueri- libus deliramentis cum PLINIO, vaniloquentiae cum Athenienſibus philoſophis, annumerant profani: Quam omnis Atheorum & Naturaliſtarum turba furioſa, vt

apud MINVT. FELIC. in Octav. p. 335.

PLINIVS L. II. nat. hiſt. c. 7. & L. VII. c. 55.

Actor. XVII, 32.

(a) Quia CAECILIVS omnia fere a paganis, in doctrinam de mortuorum reſurrectione, vituperia prolata, vno quaſi impetu, eructat, non poſſum, quin verba, etſi prolixiora, huc repetam: *Nec hac furioſa opinione contenti, aniles fabulas adſtruunt & annectunt. Renaſci ſe ferunt poſt mortem, & cineres & fauillas: & neſcio qua fiducia mendaciis ſuis inuicem credunt, putes eos iam reuixiſſe. Anceps malum & gemina dementia. Coelo & Aſtris quae ſic relinquimus, vt inuenimus, interitum denunciare: ſibi mortuis & extinctis, qui ſicut naſcimur & interimus, aeternitatem repromittere. Inde videlicet & execrantur rogos, & damnant ignium ſepulturas; quaſi non omne corpus, etſi flammis ſubtrahatur, annis tamen & aetatibus in terram reſoluatur: nec interſit, vtrum ferae diripiant, an maria conſumant: an humus tegat, an flamma ſubducat: cum cadaueribus omnis ſepultura, ſi ſentiunt, poena ſit: ſi non ſentiunt, ipſa conficiendi celeritate, medicina. Hoc errore decepti, beatam ſibi, vt bonis,*

metum horrendiſſimarum corporis poſt mortem poenarum excutiat, exploſam proſcriptamque cupit: Nos rectiora, meliora, atque certiora edocti tanto maiori accipimus animi, ad hoc ſaeculum non nati, cupiditate, optime gnari, de cinerum & fauillarum hominis reſtitutione doctrinam eſſe Chriſtianorum propriam, & eam ſolatii pariter & terroris pleniſſimam, inque una diuinorum oraculorum auctoritate fundatam. (*b*)

'Ter-

bonis, & perpetem vitam mortuis pollicentur: caeteris, vt iniuſtis, poenam ſempiternam. In promtu ſunt longe plura paganorum ſcommata, diligenter paſſim a viris eruditis conquiſita: Nos autem vnum hoc e TERTVLLIANO Libr. adu. haeret. c. VII. p. m. 203. edit. Pamel. addimus: *Et vt carnis reſtitutio negetur, de vna OMNIVM PHILOSOPHORVM ſchola ſumitur.* Tanto maiori induſtria primi religionis Chriſtianae Apologetae, reſurrectionem certe futuram, aſſeruerunt, longo ordine citati & laudati a b. IO. ALB. FABRICIO in delect. & ſyllab. argumentor. pro V. R. C. cap. 45. p. 706.

(*b*) Pulcrum nuper vidimus ſpectaculum, quod munerarius neſcio quis Hamburgi edidit, non adeo magno βραβειῳ propoſito, vbi eruditiſſimos maximam partem viros vidimus certantes de palma, doctrinam de reſurrectione mortuorum omnium optime confirmaturo promiſſa, & ab agonothetis prudenter admodum electis diſtribuenda. Vtinam, hanc in arenam nemo, niſi ſatis expertae virtutis, gladiator deſcendiſſet, ne infirmo latere pugnans, iuſtae cauſſae magis noceret, quam poſſet eidem prodeſſe. Vidimus enim quendam, non ſine multa indignatione, a ſola reſurrectionis poſſibilitate ad probabilitatem temerario auſu concludentem, quod profecto nihil aliud eſt, quam religionem exponere riſui Atheorum. Accipe verba ipſa: *Iſt die Auferſtehung der Todten* möglich, *wie wir verhoffentlich zur Gnüge bewieſen haben; ſo wird ſie unſtreitig auch* glaublich *ſeyn müſſen.* Proba, bone vir: probat, *denn dasjenige pfleget man mit gröſtem Recht* glaublich *zu nennen, was an ſich nicht eben vollkommen klar; aber doch möglich iſt.* Hoc, ſi idem per idem probare non eſt, quid tandem eſt. Scilicet, poſſibile (ſit venia verbo) eſt probabile, eccur? quia omne probabile eſt poſſibile. Optaſſemus certe, vt, quotquot certamen iſtud iniere, doctiſſimi IO. PEARSONII, Epiſcopi Ceſtrienſis, *expoſitionem ſymboli Apoſtolici* huiusque *articulum XI.* p. m. 655. ſequ. legiſſent; ubi ***primo***, reſurrectionem carnis haud impoſſibi-

-lem

Terroris pleniſſimam, diximus doctrinam de reuocandis in vitam ſepultis cadaueribus, quippe ad quam contremiſcunt, quotquot mens malorum facinorumque conſcia angit, diu quidem, ſed fruſtra, in id nitentes, vt SENECAE effatum

Poſt mortem nihil eſt, ipſaque mors nihil,

ſi qua veriſimilitudinis ſpecie fieri poſſet, vel confirment, vel, a veritate adeo non abhorrere, ſibi perſuadeant: Sed, quia impii peccata in corporibus contraxerunt, iudice LACTANTIO, rurſus carne induentur, vt in corporibus piaculum ſoluant. Surgent impii, τα φαυλα πραξαντες, εις αναςασιν κρισεως, in reſurrectionem condemnationis, hoc eſt, quam damnatio aeterna indiuulſo nexu excipiet, & quae ideo, vt ad inferos corpus in vitam reuocatum detrudatur, futura eſt. Ad aeternam ignominiam magna pars illorum euigilabit, quos terra nunc tegit, olim vero diuina potentia ſuſcitabit. Non ſoli ευλογημενοι τȣ Πατρος, qui blandiſſima ouium appellatione veniunt, ſed & τα εριφια εξ ευωνυμων ſtabunt coram iudice IESV, vt dignam operibus mercedem accipiant. Reiicimus itaque

Libr. VII. inſtit. c. 21. Ioh. V, 29. Dan. XII, 2. Matth. XXV, 32. ſeqq.

 cum

lem eſſe in ſe ipſa, *ſecundo*, ob generales propoſitiones & rationes, a rebus intra & extra nos obuiis petitas, eſſe quam probabiliſſimam, *tertio*, e principiis Chriſtianis infallibiliter veram, egregie doctiſſimeque docuit. Cui ſi IO. GERHARDVM, ſtupenda plane opera ad confirmationem doctrinae de reſurrectione mortuorum, omnia conquirentem, *Loc. Theol. tom. VIII.* a p. 970. ad p. 1094. iunxiſſent, omnino intellexiſſent, nihil fere dici ardua hac in cauſſa poſſe, quod dictum olim non ſit. Sed omnibus rationibus probe ponderatis, tandem GERHARDVS pronunciat §. 41: *Sed haec omnia nondum a nobis impetrare poſſunt, vt ſtatuamus, reſurrectionem mortuorum eſſe vel natura notam, vel philoſophicis rationibus apodictice demonſtrari poſſe.* Paucis interiectis: *Allata argumenta eſſe topica, non apodictica, veriſimilia, non cogentia, quippe quae multis labefactari poſſunt inſtantiis contrariis.*

cum Iudaeorum, tum Photinianorum recentiorum (*c*), de impiorum resurrectione non futura, commenta impia, serioque detestamur dicaculorum quorundam insana prorsus dicteria, dum, vt nostram de resurrectione doctrinam fidemque vel risui exponant, vel cum ea iocentur tempus fallendi gratia, (serio enim eos rem agere, vix ac ne vix quidem credimus) ad Esa. XXVI, 14. graecamque huius vaticinii versionem prouocant:

Ου δε ΙΑΤΡΟΙ ου μη αναστησουσι,

quae

(*c*) De Iudaeis constat inter omnes, resurrectionem impiorum ab his praefracte negari, iustorum tantum affirmari. Multo studio, vt solet, loca Rabbinorum congerit Philologus celeberrimus; olim noster, THEOD. DASSOVIVS, in erudito libello, *de Iudaeorum sententia de resurrectione mortuorum*, cap. IV. §. 2. cui, si placet, iungi potest POCOKIVS in *porta Mosis*, p. 147. & HORNBECKIVS de *conuinc. iudaeis*, Libr. 8. c. 4. Obseruasse iuuabit, Iudaeos ex eo, quem nunc in primis tractamus, loco Esaiae cap. XXVI, 14. rationes pro neganda impiorum resurrectione, petere, quas b. DASSOVIVS cap. V. §. 1. p. 129. loc. cit. p. 129. & allegat & confutat.

De Socinianis, credantne resurrectionem impiorum, lis est sub iudice. Tribuunt hunc errorem Socini asseclis MARESIVS hydr. Socin. exp. Tom. II. Libr. III. cap. 33. p. 315. SCHERZERVS colleg. antisocin. disp. 147. p. m. 1260. aliique longe plures. Sed ipse SCHERZERVS fatetur l. c. *Impios esse resurrecturos, nemo, quod sciamus, saltim hodie, inter Socinianos PALAM negagare videtur. Interim Socinus hic TECTE egit, & sententiam suam, quantum potuit, occultauit.*

Meminit ORIGENES comment. in Psalm. I, 3. fragm. fuisse olim & inter Christianos, qui malos resurrectionis compotes futuros negabant: Εντευθεν οι απλουστεροι των πεπιστευκοτων ορμωμενοι νομιζουσι τους ασεβεις της αναστασεως μη τευξασθαι, και της θειας κρισεως μη καταξιουσθαι. id est, interprete DION. PETAVIO: *Huius loci auctoritate freti simpliciores quidam ex fidelibus negant, malos Resurrectionis compotes futuros, aut Dei iudicio dignandos.* vid. Opp. tom. II. p. 42. edit. Huetian. Et reapse hanc multorum fuisse opinionem tunc temporis, peruersae Psalmi I, 5. interpretationes, a SVICERO diligentissime collectae, testantur, in *thesaur. ecclesiast.* tom. I. p. m. 359. 360.

quae verba b. AVG. PFEIFFERVS, literarum graecarum caeteroquin haud expers, reddidit: in dubiis vexat. p. 701.

Nec MEDICI vllo modo resurgent.

Quo sensu eadem verba accepit Arabs interpres, teste BRIANO WALTONO: sed Chaldaeus loco MEDICORVM nominat גִּבָּרַיהוֹן *gigantes*, viros fortes, habetque Syrum consentientem, & Latinum cum HIERONYMO. Cui iungere licebit, ex Ps. LXXXVIII, II. similem Graecae Versionis errorem, in Bibl. Polyglott. tom. III. ad h. l.

Μη ΙΑΤΡΟΙ αναςησεσι και εξομολογησονται σοι;

quem Vulgata partem seruauit, partem emendauit:

Num MEDICI suscitabunt, & confitebuntur tibi?

Arabs autem, eodem WALTONO teste, in locum MEDICORVM substituit PHILOSOPHOS, hosque resurrecturos negauit. Alia omnia in vtroque loco loquitur Ebraeus codex, quippe qui neque MEDICORVM, neque PHILOSOPHORVM meminit, neque horum resurrectionis futurae. Scilicet vox sacri Textus רפאים difficilis intellectu, errandi occasionem praebuisse videtur septuaginta illis Alexandrinis, ebraearum literarum non satis vbique peritis, qui, cum nescirent, quid *Rephaim* significarent, signa vocalium mutantes רֹפְאִים legebant, inque MEDICOS vertebant. Iam pridem eruditi viri intellexere, Alexandrinos vel menda codicum suorum retinuisse passim, vel, quia codices punctis instructi non erant, affinia non satis distinxisse, fictas veris lectiones antetulisse, literisque sonantibus puncta ex ingenio subscripsisse: id quod postremum eos in voce רפאים fecisse, ocularis inspectio docet. Retinuerunt signa sonantia, Conf. CARPZOVII critic. sacr. V. T. p. 516. HOTTINGERI thes. philol. L. I. c. 3. qu. 15. p. 354. DRVSII obseru. L. VI. c. 9. & alii perquam multi.

tia, ſed vocalia mutarunt, ignorantiae culpa dicam, an αβλεψίας vitio, diuini eloquii ſenſum negligentes. Condocet hanc Alexandrinorum ſupinam ignorantiam, temerariamque fingendi quidlibet ex quolibet audaciam, vox ſequens יְקֻמוּ, quam αναςησȣσι reddunt, manifeſto errore, propter aliqualem ſoni ſimilitudinem יְקִימוּ cum יְקֻמוּ confundentes. Nec mirari ſatis potuimus, qui fuerit factum, vt b. PFEIFERVS graecum αναςησȣσι verteret *reſurgent*, cum actiuam ſignificationem clariſſime inuoluat, *ſuſcitabunt*, nec το ΑΝΑΣΤΗΣΟΝΤΑΙ apud Alexandrinos legatur. Vtut enim verbum ανιςημι ſuos χρονȣς αοριςȣς, nunc neutro, nunc tranſitiuo ſenſu accipiendos flectat, nunquam tamen τον μελλοντα alio, quam actionem deſignanti. Sed errare humanum eſt, in primis in rebus leuioribus, ad quas raro attendimus, grauiora ſectantes. Maiori accuratione verba Alexandrinorum tranſtulit WALTONVS: *neque medici vllo modo ſuſcitabunt.*

Quam turpem errorem (*d*) commiſerint Alexandrini hac ſua verſione, duobus potiſſimum argumentis

(*d*) Qui fuerit factum, ut Alexandrini in praeclarum & de humano genere optime meritum MEDICORVM ordinem videantur iniquiores, coniectando ne quidem aſſequimur, niſi quod forte odio in medicos, Iudaeis olim proprio, quippiam eos dediſſe, ſuſpicemur. Quae enim apud BVXTORFIVM Lexic. Talmud. f. 153. & alibi paſſim, leguntur vituperia in Medicos, peiora ſunt, quam ut ſine offenſione bonorum repeti queant. Nec defuerunt noſtra aetate, qui cultores artis medendi variis calumniis vexarunt. Ne quid dicam *de medico Romano ſervo ſexaginta ſolidis aeſtimato*, nuper Lipſiae recuſo A. MDCCXLI. cuius dicae auctorem ferunt IO. FRID. BOECKELMANNVM, ICtum Heidelbergenſem, poſthac Leidenſem, dicamus, de quo IVL. CAR. SCHLAEGERI hiſtoria litis, *de Medicorum apud Romanos degentium conditione*, plura ediſſeruit p. 17. Exilium illud Romanum falſe Medicis obiicitur, quam iniuriam tamen a ſuo ordine depulit CAR. DRELINCVRTIVS, in *apologia medica*, qua vetus illa confu-

mentis freti, ſed breui, monſtrabimus. Totum caput ſextum & vigeſimum Eſaiae, canticum, quod felicem atque ſecurum eccleſiae noui foederis ſtatum celebrat, nobis exhibet, ita vero, vt loquendi formulae a populo Iudaeo, in libertatem vindicato, olim adhibitae, ad decantandam N. T. libertatem atque ſecuritatem, in eo transferantur. (*e*) Etenim vates loquitur cap. XXV, 6. de coena omnibus terrae incolis, non ſolis Iudaeis, apparanda, v. 7. de tollendo Iudaeos inter & reliquos populos diſcrimine, v. 8. de reditu Iudaeorum ad verum Dei cultum, v. 9. de certa temporis periodo, in qua ſummus IEHOVA vbique, non in Palaeſtina vna, agnoſcetur atque adorabitur, cap. XXV. I. ſeq. de Zione nunquam ſuperanda, vtut impii quouis modo, quauis arte, omni robore & vi, vt eam ſuperent aratrumque ei imponant, ſint experturi. Feliciſſimus ille ſacrarum paginarum interpres, CAMPEGIVS VITRINGA, (cuius erudiτiſſimas in Eſaiae vaticinia commentationes plagiarii bene multi, & inter hos viri etiam non infimi ordinis, in ſuos vſus transferre ſolent, IAC. THOMASII de plagio literario diſſertationem olim aucturi) de illo tempore, in quo

 Pro-

confutatur calumnia, medicos ſexcentis annis Roma exulaſſe, Lugd. Batau. a. 1671. 12mo. nec non eruditiſſimus Londinenſis Medicus, RICHARDVS MEAD, in *oratione Harueiana* an. 1723. Londini in Theatro regii medicorum Londinenſium collegii habita, quam aeneis typis exſcriptam, nemo ſine ſumma animi voluptate perleget: Adiecta eſt diſſertatio *de nummis quibusdam a Smyrnaeis in Medicorum honorem percuſſis*, quae veterum Medicorum honores egregie vindicat, vtut CON. MIDDLETON, academiae Cantabrigienſis Protobibliothecarius, iterum iterumque MEADO doctiſſimo contradixerit.

(*e*) Egregie hanc regulam, in Prophetarum V. T. ſcriptis probe obſeruandam; expoſuit GLASSIVS in philolog. ſacr. L. I. tract. 4. Sect. I. can. 5. p. m. 319. & Libr. V. Tract. I. cap. 13. p. m. 1885. nec non CAMPEG. VITRINGA in praefat. ad comment. in Eſa. f. XIV.

Protestantium ecclesia, deletis suis persecutoribus, sedem stabilem nacta est, vatem praecise loqui autumat. Quod etsi nostrum non facimus, certissimum est, non de vltima mundi huius exustione, non de securitate coelesti illa secutura, non de resurrectione mortuorum proprie sic dicta, multo minus de regno Chiliastico, quod *Halenses bibliorum germanicorum editores* (*f*) somniant, sed de stabilitate atque perennitate ecclesiae Christianae, a tirannis quidem afflictae, sed in libertatem nunc vindicatae, loqui prophetam. Haec nos mouent, vt ebraeum יָקֻמוּ, vel in sensu compositi de *resurrectione* improprie tali (*g*), hoc est, de tirannorum restitutione nunquam futura, vel in sensu simplici *stare*, quo, persecutores ecclesiae mansuros fore, negatur, accipiendum putemus. Eximium robur nostrae sententiæ addunt verba proxime sequentia: לָכֵן פָּקַדְתָּ וַתַּשְׁמִידֵם וַתְּאַבֵּד כָּל־זֵכֶר לָמוֹ: quae Seb. Schmidivs rectissime vertit: *eo quod visitasti & extinxisti eos, & perdidisti omnem memoriam illis.*

Danzii interpr. ebr. chald. p. 354.

Medicorum ne nomen quidem ab Esaia vate afferri, vox ebræa cum genuinis punctis vocalibus pronunciata רְפָאִים, aperte docet, quippe quam Alexandrini, iudice Danzio, ridiculo errore, cum רֹפְאִים confuderunt, grauiorem censuram promeriti. Discrepant de genuina רְפָאִים significatione sententiae auctorum, siquidem *manes* Arias Montanvs, *gigantes* Chaldaevs, Syrvs & Vvlgata, *mor-*

(*f*) Nam in editione bibliorum Halensi, interpretationis ergo, citatur locus quasi parallelus, Apoc. XX, 5. id quod manifesto est indicio, cogitasse editores illos, ad hunc nostrum Esaiae locum, de regno suo Chiliastico, vel potius Vtopico.

(*g*) Io. Brentivs in comment. ad h. l. asserit, hebraeos legere, *deficiunt*, non, *resurgent*.

mortuos LVTHERVS, SANTES PAGNINVS, VITRINGA, aliique, reddunt, (*b*) magnus vero SEB. SCHMIDIVS ipſam Ebraeam vocem *Rephaim* retinet, quod eſt indicio, praeſtantiſſimum virum de vera ſignificatione vocis vel dubitaſſe, vel id pro gentilitio habuiſſe. Quod ad nos, eſt in Eſaiae volumine locus ſatis clarus, quo freti Rephaim *gigantes*, populos fortiſſimos, & eos quidem hoſtiles, in DEI populum crudeliſſime graſſantes, intelligendos eſſe, tuti affirmamus. Sic enim verba fluunt: *Excitauit propter te Rephaim, omnes arietes potentes terrae, ſurgere fecit de thronis omnes Reges gentium.* VITRINGA de vmbris mortuorum, quas HOMERVS ψυχας, ειδωλα καμοντων dixit, ad hunc locum cogitat, quaſi ad gentilium fabulas alluderet Eſaias: malumus autem nomen gentilium, quod Cananitarum populum fortiſſimum, ſtatura eminentem, verbo, *gigantes* denotat, per elegantem translationem, ad ferocem quemlibet populum, DEI populo maxime infenſum, transferre. v. Gen. XIV, 5. c. XV, 20. Deuter. III, 11. cap. II, 11. 20. (*i*) Conſentientem habemus ſummum Theologum, IO. GERHARDVM, qui per רפאים oppreſſores & perſecutores eccleſiae intelligit, non ſurrecturos vel victuros, id eſt, ad potenti-

Eſa. XIV, 9.

VITRINGAE Tom. I. comment. in Eſaiam p. 433.

GERHARDI Loc. Theolog. tom. IX. p. m. 1080.

(*b*) Placet MATTH. HILLERI ſententiam in Onomaſt. ſacr. p. 102. prolatam huc transſcribere: ***Rephaim, i. e. mortui, manibus defunctis longitudine pares, humana ſpecie maiores, a verbo*** רפא, ***quod affine themati*** רפה, ***remiſſum vel porrectum eſſe. Rephaim eſt Gigantum nomen, Gen.*** 14, 5. ***Deut.*** 2, 11. Adde, quae ab eodem HILLERO l. c. p. 285. de hoc noſtro Eſaiae vaticinio, & p. 287. de appellationis cauſa, prolixius diſputantur.

(*i*) De Rephaim ſedibus antiquis, videatur HADR. RELANDVS in excellentiſſimo *de Palaeſtina* opere p. 141. Sed de *Gigantibus*, extiterintne olim & ubi, lectu digniſſima eſt AVG. CALMETI diſſertatio, quam in ***diſſertationibus ſ. prolegomenis in S. Scripturam, tom. II. p.*** 353. ***edit. latin.*** obuiare conſtat.

tentiam, quam olim tyrannorum more exercuere in Iudaeos, non aſpiraturos, a ruina non eluctaturos. (*k*)

His ita diſputatis, neque MEDICORVM, neque impiorum, multo minus omnium mortuorum, reſuſcitationem ab Eſaia negari, ſatis conſtabit.

Tu vero, PRAEPOTENS NVMEN, cuius ad imperium puluis olim commouebitur, oſſaque carne ſua iterum veſtientur! Confirma fiduciam, quam in futura noſtra reſurrectione ponimus, TVAMque nobis largire gratiam, vt vitam his in terris geramus futuro
Coloſ. I, 18. ſaeculo dignam, olim cum IESV ΠΡΩΤΟΤΟΚΩΙ ΕΚ ΤΩΝ ΝΕΚΡΩΝ in vitam redituri. Tunc enim, PATER, filius tuus noſtra ſepulcra aperiet, ſuaque nos manu e puluere ſuſcitabit, hunc in finem ipſe tertio die e monumento ſuſcitatus, vt mortuorum pariter & vi-
Rom. XIV, 9. uorum ſit REX & DOMINVS. Hanc ipſam CHRISTI reſurrectionem, hodie grata mente & manu ad aram acceſſuri, nobiscum vt celebretis, CIVES OPTIMI, eſt, quod peramanter atque officioſe rogamus.

(*k*) Eandem nobiſcum ſententiam tuetur b. GVST. GEORG. ZELTNERVS in bibl. an. MDCCXL. diuulgatis, ad h. l. p. m. 896. *Die gewaltigen Regenten, auch unter denen Heyden, welche die Kirche Chriſti lange verfolget, &c.* Quodammodo HVGO GROTIVS nobiſcum facit: *Gigantes non reſurgent, i. e. Tyranni iſti non redibunt ad nos vexandos.* Nec procul a nobis diſcedit SEB. SCHMIDII interpretatio: *Putamus eccleſiam DEO proponere veterem ipſius erga impios tyrannos vindictam, quos morti ita tradiderit, vt nocere amplius nequeant, imo eorum omnis memoria laudis exſtincta ſit.* comment. in Eſa. p. 226.

